





Gustav Ranke,
2.11.1890.

38.

1690, 34

25

DECANI FACULTATIS MEDICÆ

GEORGII VVOLFFGANGI
VVEDELII,

Med. Doctoris, Consilarii & Archiatri
Ducalis Saxonici, Theoretices Professoris Ordinarii,
h. t. Academiae PRO-RECTORIS,

PROPEMPTICON INAUGURALE

DE

SINAPI SCRIPTURÆ.

J E N Æ,

Literis KREBSIANIS.

ANNO MDCXC.

Matth 13, 31 a. b.



Axima sæpe in minimis
latet virtus, ut illa semper potius,
quàm moles spectanda fit, alioqui, si fa-
ciem videas, quantivis pretii visis.

Decantatum in Sacrà Scripturà legi-
mus κόκκον σινάπι, *granum sinapios*, tum ob parvita-
tem solam *Matth. 17. v. 20.* tum in primis, quod ex mi-
nori & abjectâ ferè magnitudine in molem insignem
excrescat, *Matth. 13. v. 31. 32.* Ὁ μικρότερον μὲν ἔστι πάντων
τῶν σπερμάτων ὅταν ᾖ ἀυξηθῆν, μείζον τῶν λαχάνων ἔστι
καὶ γίνεθαι δένδρον, ὡς ἐλθεῖν τὰ περὶ τὰ ἔρανα, καὶ
κατασκηνῶν ἐν τοῖς κλάδοις αὐτῶν. Hoc, *Erasmo* interprete,
*minimum quidem est omnium seminum. Cæterum ubi ex-
creverit, maximum est inter olera, & fit arbor, adeò, ut
veniant volucres cæli, & nidulentur in ramis illius.*

Cognitissimum est & maximè obvium sinapi, in
exempli vicem sumptum, ut eo magis pateat vis & in-
tentio similitudinis sacrà inde deducta; quæ enim fa-
miliaria sunt, ea magis afficiunt & intelliguntur faci-
lius. Operæ tamen pretium fuerit determinare spe-
ciem sinapios, cum variet & ipsum, vel confundatur
etiam cum erucâ.

Sanè non solum apud nos ignoratum fuit ha-
ctenus genuinum hoc sinapi fativum, siliquâ latiuscu-
lâ glabrâ, femine ruffo, donec ex inferiori Saxonîâ a-
gris & hortis illud intulimus; sed etiam aliis locis, un-
de & non ineptè *Rosenbachius* vocat sinapi Scripturæ,
Matth. omnisc. Christ. p. 256.

Mini-

3.
Minimum hoc est mole, maximum virtute, & frutescente altitudine. Minimum non exclusivè, minora enim adhuc dantur non pauca, sed inter ea, quæ usualia sunt ex oleraceis, semina.

Confirmat id eleganti loco *Aetius Tetrab. 1. S. 1. p. 50.* ἀριστον ἢ καὶ τὸ αἰγύπτιον, ἢ τὸ συριακόν. μικρότερον ἢ τὸ ὄγκω καὶ ἀναμώτερον κεχρωσμένον. *Optimum Ægyptium, aut Syriacum, (quod cum Judaico idem est,) & quod mole minus est, & minus cruentè coloratum.* Hinc *νᾶ-πυ* dicitur, autore *Αἰθηνᾶο 1. 9. c. 1.* δῖον νᾶφυ, ὅτι ἐστὲν φύσεως ἀφύης γδ καὶ μικρὸν, ὡπαεὺς καὶ ἡ ἀφύη, quasi destitutum à naturâ. *Abjectum enim & parvum est, sicuti etiam apua, (de quâ apuâ verâ videri meretur Gesnerus Hist. Anim. 1. 4. p. m. 73.)* Quasi dicat, ut inter pisces apua, ita inter semina minimum est sinapi.

Opponuntur sibi ergò parvitas feminis hujus, & magnitudo plantæ, quæ id profert, ita quidem, ut mirandum & hîc fit, quomodo γυμνὸς hic κόκκος, nudum granum & semen crescat, agro confertum vel horto, secundum τὸ ἴδιον σῶμα, quod ipsi dat Deus; quàm elegans, procerus & conspicuus frutex inde excrescat, ut maximè inter olera emineat.

Per τὰ λάχανα olera intelliguntur herbæ, quæ in usum cibarium veniunt, seu quoad folia, seu radicem, seu semina quocūq;, quamvis & medicâ virtute simul non pauca sese commendent. Alimentariæ illæ sunt, ut hæ medicæ magis, imbecillior quidem alimenti materia, non adeò firma, si cum carnibus aliisque fiat comparatio, attamen nec ideò rejectanea; quin & gratâ varietate palato arrident, & carniū & panis, firmiorum alimentorum, commoda sunt accessoria & succedanea, unde & illud vulgatum: *carnibus est dignus, qui benè mandit olus.*

Λάχανον est & sinapi, seu ad oleracea non minus

)(1

ac



ac alia pertinet, vel eo nomine, quod frequentius in re cibaria sit, quam in medicatione, licet contrarium tueatur *Melchior Sebius l. 2. de aliment. facult. p. 464.* Neque enim obstat, folia hodie paulo minus usibus culinariis impendi: satis est, quod & id fieri queat, & semine suo satis superque idem præstet. Imo & mentha & similia illuc pertinent, partim in sacris, partim apud *Hippocratem* memorata *l. 2. de diet. c. 26. ubi l. 7. de sinapi & erucâ agit.*

Sed videamus magnitudinis hujus ἐξοχὴν & modum, quæ duplici signatur elogio. Primum est, quod arbor evadere ratione mediante dicatur tam parvulum semen. Nominatur δένδρον, arbor, latiori ac ampliori paulo sensu, medicis admodum istis in casibus usitato. Ita enim non tam arborem notat propriè dictam, quam stirpem & aliis contra elatiorem plantam, q. d. ut arborescat, uti sedum, malva, hypericum, tithymalus & alia sunt & dicuntur arborecentes.

Efficitur id ex rei ipsius naturâ, & textûs συναφεία. Scribitur enim in agris vel hortis, instar aliarum plantarum, quod de arboribus non ita affirmari potest. Λόχανον est, olerum verò censum plantæ; subeunt, non arbores. Κόκκον profere, ad denotandam feminis qualitatem & figuram, granum minimum, quod plantis præ arboribus competit. Cumque attollatur altius germinibus suis, fastigiatur in ramos.

Rami plantarum, ipsarumque arborum, æmulantur ossa in animalibus, quæ σείων, ὀρθώματα καὶ εἶδος, consistentiam, rectitudinem & formam largiuntur iisdem, vel si id specialius applicemus, brachia, quibus exporriguntur. Folia alas appensas, ut cum motu animali αὐτομάτω interno destituantur, illorum remigio vento sufflante impellantur, & sic motu ipsis convenienti ac necessario ad distributionem succi nutritii gaudeant.

Eminen-

Eminentia itaque ac ramositate sua sinapi æmu-
latur arborem, non modò aliquot cubitorum longitudi-
ne conspicuum, ut *Baubinus* asserit, *Tom. II. Hist. plant.*
c. 9. p. 855. Sed, quæ *Raji* est assertio, *Hist. plant. Tom. 1. p.*
802. Omnium hujus generis nobis cognitorum ramo-
sissimum & elatissimum, licet è tam exiguo ovulo ena-
tum. Semina enim plantarum esse ovula, post *Jose-
phum de Aromatariis Exerc. de rabie contagiosa*, hodiè in-
confesso est.

Nec absolum videri debet alterum, in ramis hisce
hospitari posse volucres, & umbratili hoc diversorio
delectari. *Τὸ κατασκηνῶν* enim non nidulari propriè de-
notat, sed morari, divertere, mansionem aliquam for-
tiri in genere, imò & de locis herbofis prædicatur
Psal. 23. v. 2.

Notum insuper est, pro natali foli bonitate mi-
rum quantum variare plantas etiam in altitudine, ut
quæ hîc locorum minores sunt, alibi luxurient impen-
sè; quin unâ eâdemque plagâ, pro terræ culturaque
diversitate, idem evenire toto videmus die.

Sinapi apud *Chilenses* in tantam molem excrecere
historiæ memorant, ut caules viderit *P. Alonso d' Ovaglio*
Soc. Jes. crassitie brachii humani, & tam proceros, ut ar-
bores æmularentur, & superarent altitudinem equitis.
Vid. Marggraff. append. l. 8. Hist. rer. natur. Brasil. c. 6. p. 291.
Nobis satis est, & citra insolentem hanc molem suffici-
enter elucere veritatem, & similitudinem inde dedu-
ctam appositissimè satiare mentem.

Hæc præfari voluimus, occasione DISPUTATIONIS
INAUGURALIS DE VERTIGINE, (cui sinapi non mini-
mam affert medicinam,) Clarissimi & meritissimi Me-
dicinæ Doctorandi

JOHAN-



6.

JOHANNIS CHRISTO- PHORI Schuster.

EDITUS EST IN HANC LUCEM RÖMHILDÆ, ANNO MDC LXIV. die XIIX. Julii, Patre DANIELE Schuster/in districtu Römhildensi primum Ecclesiæ Sondheimensis, deinde & Behringensis ad XX. annos Pastore fidelissimo, anno superiore beatis adscripto; Matre ANNA MARGARETHA, natâ KRAMERIANA, adhuc vivente.

Jactis pietatis non minus ac communis literaturæ fundamentis in scholâ patriâ, suasu Parentum & Amicorum, ad illustre Gymnasium Coburgense missus, humaniorum studiorum magis magisque excolendorum gratiâ, in Pædagogium receptus est.

Inde elapso justo temporis spatio & acquisitis idoneis profectibus in supremam classem, quam Publicum vocant, translatus, informatione Excellentissimorum Dominorum Professorum ulterius adolevit, inter quos in primis laudat Virum Maximè Reverendum, AUGUSTUM STEMPELIUM, S. S. Theol. Doctorem, tunc Directorem, jam Superintendentem Generalem longè meritissimum, ut & M. JOHANNEM SCHUBARTUM, jam Gymnasii Directorem vigilantissimum, M. JSRAELEM CLAUDERUM, Oratoriæ & Poëseos Professore, D. JOHANNEM CHRISTIANUM FROMMANNUM, Archiatrum & Physices Professore Publicum, cujus privatissimâ informatione in Physicis feliciter usus est.

Ad totum autem studiorum horum cursum magnum attulit momentum Viri Maximè Reverendi atque Amplissimi M. VALENTINI SUTORII, Serenis-

7.
renissimi Ducis Saxo-Römhildensis Superintendentis,
Consilarii Ecclesiastici, ipsique à Sacris Confessio-
nibus, Patruelis sui summè honorandi, benignitas,
quam gratissimo animo publicè deprædicat. Post
quinquennium huic Gymnasio, habitâ Oratiunculâ
in laudem Medicinæ, valedicens Lipsiensem Acade-
miam Anno M DC LXXXIII. petiit, in quâ, medi-
cum studium amplexus, celeberrimos Viros D. JO-
HANNEM BOHNIUM & D. PAULUM AMMANNUM
cum fructu audivit.

Ita initiatus artis sacris anno sequente Salanam
nostram adiit, & à d. VI. Decembr. studiis philoso-
phicis & medicis, sub auspiciis famigeratissimorum
virorum, strenuam navavit operam. Inter hos præ-
cipuè D. RUDOLFFI WILHELMI KRAUSII, Fa-
cultatis nostræ Senioris, prælectionibus publicis de
Ventriculi morbis interfuit, sectatus non minus B. D.
AUGUSTINI HEINRICI FASCHII scholas publicas
tam chirurgicas, quàm botanicas, comitatus profecan-
tem cadavera utriusque sexus, non neglectis exercitiis
aliis, imprimis ad Institutiones Mæbii & Chimiam
experimentalem à D. GEORGIO ERNESTO STAHLIO in-
stitutis.

Cumque ipse in testimonium vocer, sedulò audi-
vit ad Theoriam & praxin, clinicam potissimum,
manudentem, viresque ingenii in propositis ca-
sibus non sine laude periclitatus est.

Cum itaque nuper ad capeffendos modestè ho-
nores in arte summos rediisset, admissus à Facultate
uberes profectus in consuetis examinibus abundè
probavit, cognitis etiam satis superque moribus &
vitâ inculpatâ.

Hinc aditu ad cathedram publicam concessio,
sub

sub præsidio laudati SENIORIS ad d. XXIV. O-
 ctobr. habendâ Disputatione pro Licentiâ, Veneran-
 dos Academiæ Proceres, Patres, & Hospites omnium
 ordinum honoratissimos officiosè & humaniter in-
 vito, ut, dilatis tantisper gravioribus negotiis, aetui
 huic solenni interesse dignentur. P.P. Sub
 Sigillo Facultatis. M DC XC.
 D. XIX. Octobr.







Jena, Diss., 1690 M/Z

ULB Halle
004 550 803

3




TA → OL

2. + 15. Stock bisher nur verknüpft

KD 7





B.I.G.

Farbkarte #13

Gustav Reuter,
2.11.1890.

1690, 34
38.
25

DECANI FACULTATIS MEDICÆ

GEORGII VVOLFFGANGI
VVEDELI,

Med. Doctoris, Consilarii & Archiatri
Ducalis Saxonici, Theoretices Professoris Ordinarii,
h. t. Academiae PRO-RECTORIS,

PROPEMPTICON INAUGURALE

DE

SINAPI SCRIPTURÆ.

J E N Æ,
Literis KREBSIANIS.
ANNO MDCXC.

Matth. 13, 31. v. 4

